DE PIPERE CUBEBA DISSERTATIO

THUNBERG

DE

PIPERE CUBEBA

DISSERTATIO,

QVAM

VENIA EXP. FAC. MED. UPSAL.

PRÆSIDE

C. P. THUNBERG

COMMENDATORE REG. ORD. DE WASA

MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB. HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. UPS. LOND. HOLM. AGRIC. MED. ET EVANG. SOCIET. OECON. UPSAL. PATR. HOLM. ET. CIV. OECON. FINL. HONOR. WERMEL. JUNEC. WESTM. CALM. ET ÖREBR. BEROL. ET FRANCOF. ET LIPS. NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS. HIST. NAT. GORENK. PHILAD. LUND. HARLEM. AMSTELOD. BONNENS. OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS. TURICENS. IENENS. LINN. LONDIN. MEDICO-BOTAN. ET HORTI-CULTUR. REG. SCIENT. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. SCIENT. GOTHOB. MONACH. ERLANG. WETTER. NANCIENS. MARPURG. MED. PARIS. EMUL ET LINN. MONSPEL. MED. MATRITENS. MED. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET PETROP. MEDICO CHIR. ET PHARMAC. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET INSTITUT. NATION MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN. SCANDINAV. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

PRO GRADU MEDICO

P. P.

AUCTOR

PETRUS JACOBUS LIEDBECK

SUD. NER.

IN AUDIT. BOTANICO DIE I DECEMB. MDCCCXXVII.

H. A. & P. M. S.

UPSALIÆ,

EXCUDEBANT PALMBLAD & C.

De Huldaste Föräldrar

Tillegnas detta Ungdomsförsök, såsom en ringa gärd

af

Sonlig Kärlek, Vördnad och Tacksamhet.

De Pipere Cubebâ.

Arabes jam usurpasse Cubebas et Avicennam eas commemorasse contendit Schwartze 1). Murray 2) vero dicit, difficile esse dijudicatu, an Arabum Cubebae eædem ac nostræ sint, et relegat de eâ re ad Wedelii Dissertationem de Cubebis anno MDCCV. Quodcumque sit, constat tamen Japanenses, ut remedium domesticum contra omnes fere morbos imprimis febriles, masticare et deglutire baccas Cubebæ 3).

Bengalensibus fuerunt baccæ remedium contra Blennorrhagiam Urethralem, et exinde in usum medicum receptæ a Crauford ad Societatem Commerciorum Indicorum Medico 4).

Postea, vel æquo vel iniquo Aesculapio, in variis Inflammationibus membranarum mucosarum tentatæ sunt. Ante Crauford vix ullus Medicus eas tentaverat 5) in his affectionibus.

Fuerunt vero contra affectiones catarrhales adhibitæ, ut Aphrodisiacum et Carminativum et Resolvens, præsertim pituitæ abdominalis 6) et Vertiginis inde ortæ, unde nomen Germanicum Schwindelkörner: præterea ut Condimentum ad corrigen-

---

1) Pharmacologische Tabellen vide suo loco: Cubebas.

2) Apparatus Medicaminum Vol. V. pag. 37. seq. Göttingiæ 1790.

3) Burmanni Phytantoza Iconographica 1739. Tom IV. p. 301. Tab. 440. etiam delineatus frutex est, sed prava figura.

4) Richter Specielle Therapie 1 Ergänzungsbande pag. 171 seq.

5) Schwartze l. c. Richter l. c.

6) Burmannus l. c. Murray l. c.

dum halitum oris foetidum, Masticatorium contra morbos Hystericos et Præservans contra morbos contagiosos, præcipue febriles impensæ 7).

Præmittenda vero jam est descriptio fruticis botanica et deinde fructûs, partis unicæ in Officinis venalis. Postea chemicam, pro virili, analysin referre animus est et postremo modum ejus in Organismo sano et ægro agendi, et quomodo quibusque in morbis adhibeatur.

Præmonendum vero videtur, quamquam diu Cubebas Mercatores vendiderint, fruticem tamen ipso Linnæo Patri incognitum fuisse. Postea eum descripsit Bergius et appellavit Piper Caudatum 8).

I. *Pars Phytographica.*

Plurimi Botanici 9) Genus totum Piperis ad Classem numerarunt Artificialem Diandriam et Ordinem Trigyniam. Celeb. vero Præses totum hocce Genus refert ad Polyandriam et Polygyniam, ob florescentiam, prorsus singularem, eo spectantem, Acrimonia hanc cognationem quoque portendere videtur.

In Systemate naturali numeratur Genus Piper ad Dicotyledones Ordinemque naturalem Piperacearum.

Characterem genericum adducimus secundum Linnæum, Sprengel et Persoon, specificum solummodo secundum Persoon et Sprengel. In descriptione fructûs Murray potissime sumus secuti.

---

7) Murray l. c. Richter l. c.

8) Murray l. c., Celeb. Præses in itinere suo invenit verum fruticem in Java crescentem. Vide. Resa uti Europa, Africa, Asia, förrättad åren 1770—1779. Del. IV. sid. 147.

9) Linnæus in multis operibus, Sprengel in Linnæi Systemate Vegetabilium Ed. XVI, Persoon in Synopsi Plantarum, Willdenow, Link &c.

Piper: Spatha nulla perfecta, squamæ appressæ laterales vel bracteæ peltatæ aut lineares. Spadix simplicissimus, flosculis tectus, amentiformis. Amenta subandrogyna, Calyx nullus. Staminum filamenta nulla. Antheræ duæ oppositæ ad radicem germinis subrotundæ. Stamina duo vel incerti numeri. Stylus unus, brevissimus vel nullus. Stigma unum, simplex, hispidum vel etiam numerantur duo, tria, quatuor Stigmata. Bacca monosperma, subrotunda.

Cubeba: Foliis venosis: inferioribus cordato-ovatis, acutis; superioribus oblongo-ovatis, acuminatis, basi obliquis, glaberrimis; Spicis solitariis, oppositifoliis, pedunculatis; Fructibus pedicellatis: Floribus rarius dioicis.

Habitat in sylvis Insularum: Javæ, Japan, Mascaren, Guineæ, Malabaricarum, Philippinarum et Bourbon. Fulcimenta qnærit in arboribus validioribus, circa quas serpit fruticulus.

De collectione fructuum nihil fere novimus. Sunt vero Cubebæ baccæ globosæ, aridæ, recentes fuscæ, exsiccatæ griseæ et rugosæ, magnitudine plerumque grani Piperis Nigri, pedunculo gracili, lineam circiter longo, instructæ. Fractæ offerunt testam fragilem, intus fuscam, et granulum seu nucleum, diametri multô minoris, cujus epidermis brunnea, parenchyma albidum, suboleosum. Nucleus, testâ longe calidior, sapore acriori præditus est. Utraque pars masticata calore et sapore aromatico os totum replet cum amaritie leni, halitum oris fragrantem reddit, salivamque elicit. Postea sensum frigoris provocat.

Bonæ qualitatis Cubebæ sunt graves, quin etiam ponderosæ, parum rugosæ, sed quasi turgidæ, magnitudine eximiâ et principio scatentes aromatico. Rejiciendæ sunt baccæ nimis rugosæ, parvæ et leves.

II. *Pars Chimica.*

Temporibus Celeb. Murray nihil de hac cognitum erat, nisi quod continerent Cubebæ Aetherolei non parvam quantitatem et Resinam, in Alcohole solubilem.

Trommsdorff postea primus eas analysi subjecit chemicæ, quin etiam quantitativæ. Hecker (Praktische Arzneimittellehre zweite Auflage 2 Theil pag. 29) hujus ostendit Analyseos summam 10). Aetherolei quantitatem in analysi Trommsdorff minorem observavit quam Murray 11). Imperfecta etiam nostra experimenta chemica majorem Aetherolei dederunt quantitatem. Ceteroquin variant partes constituentes chemicæ qualitativæ, et eo magis quantitativæ omnium Viventium, imprimis Vegetabilium, ratione maturitatis, loci ubi creverint et ceterarum Geographicarum Physicarumque relationum. Aetheroleum prætetrea et evaporat et in Resinam abit. Idem certis conditionibus valet in aliis substantiis chemicis, ut quantitativam analysin multæ persequantur difficultates. Quapropter analysin quantitativam a Celeb. Trommsdorff institutam plane rejecimus.

Postea Celeb. Vauquelin analysin chemicam, respectu qualitatis, iteravit 12). Summam commemorare e re non est. Invenit Ille partes has constituentes:

Aetheroleum spissius,
Resinam Balsamum Copaivæ referentem,
Resinam aliter coloratam, parvâ quantitate,
Substantiam Gummosam,
Extractivum, Leguminosorum fructuum referens,

---

10) Præterea in Journal de Pharmacie B. 20. St. 1. Analysis a Trommsdorf instituta in extenso commemoratur.

11) l. c.

12) Analysis ejus commemoratur in extenso in Journal de Pharmacie Juillet 1820, Deutsches Jahrbuch für die Pharmacie Neunter Band Erster Abtheilung herausgegeben von Dr G. H. Stolze pag. 162 seq. Berlin 1822, Weimar. Taschenbuch für Scheidekunst auf d. Jahr. 1822, Jahrgang 43. Præterea Schwartze, Gmelin &c. breviter hanc commemorant analysin.

Extractivum cum Acetate Plumbico se præcipitans cum
Acido Malico et
Fibrosam Materiam.

Experimenta nostra, etiam Amyli copiam ostenderunt. Forsan erant baccæ nostræ maturiores, quam quas investigarunt Celeb. viri Trommsdorff et Vauquelin. Trommsdorff etiam invenit Acetas Kalicum. Cineres Cubebarum continent, secundum Hänle 13):

Silicam,	Sulphas Calcicum,
Sulphas Kalicum,	Carbonas Calcicum,
Murias Kalicum,	Carbonas Magnesicum.
Carbonas Kalicum,	

Quum experimenta nostra Amylum ostenderint, quod non invenerint Celeb. Illi Viri Trommsdorff et Vauquelin; non alienum videtur, heic narrare modum, quo id deteximus. E librâ dimidiâ Cubebarum pulveratarum destillatione adepti sumus circiter Drachmam Ætherolei et Libras circiter duas Aquæ destillatæ, Ætheroleo saturatæ. Massa, post destillationem residua, aquâ fervente infundebatur, et infusum aquosum calidum colabatur. Infusum fuscum Ætheroleo adhuc redolens, refrigeratione pulverem griseo-albidum præcipitavit, qui in reactione cum Jodo fere lividum ostendit colorem et siccatione repetitâ Gummosam adeptus est naturam. Difficile fuit liberare Materiam Amylaceam a pertinaciter adhærente Ætheroleo. In ceteris nostra Experimenta cum Vauquelin congruunt.

III. *Pars Dynamico — Therapeutica.*

Experimenta et observationes in sano instituta Organismo indagarunt, promovere Cubebas Urinæ secretionem eique impertiri odorem

13) Lehrbuch der Apothekerkunst 1 B. 2 Abth. S. 220. Leipzig 1821.

peculiarem Ætheroleoso-resinosum. Secretionem etiam membranæ Urethræ mucosæ et adjuvare et mutare nobis visæ sunt, et in Ano et Intestino Recto sensum lenem ardoris excitare. Majore Dosi datæ dolores provocarunt colicas et Diarrhœam.

Aegro inditæ Organismo etiam dictas secretiones Membranarum mucosarum properant et stimulant, eodemque tempore ita mutant, ut hæcce ad qualitatem normalem sæpissime reducantur. Conjunctio nempe Ætherolei cum Resina effectum edit intensivæ stimulationis, quæ organis reproductionis infigitur præcipue in membranis mucum secernentibus 14). Partibus Amylaceis, Gummosis, Extractivis et Salinis lenius et mitius agant necesse est, quam Balsamum Copaivæ, cujus alias in effectu dynamico haud absimiles sunt Cubebæ.

Quibus in morborum formis Veteres eas usurparint et ansam hodierni usûs medicî jam monuimus. Maximam his temporibus laudem adeptæ sunt in Gonorrhoea, ubi sæpe brevi, intra tres vel quatuor dies, finem effecerint et doloris et secretionis abnormis 15). In quovis morbi stadio aptæ sunt, imprimis vero initio, ubi Inflammatio majorem gradum nondum obtinuerit. Idoneus usus desiderat diætam parcam et antiphlogisticam 16), ut scilicet evitetur Inflammatio vera; nam sæpius Blennorhagiæ urethrales in specie, ut Inflammationes Syphiliticæ in genere, sunt natura lymphatica 17), et tunc peridoneæ se ostendunt Cubebæ. Raro ventrem molestant (et non, nisi longo

---

14) Schwartze l. c.

15) Hänle, Richter, Schwartze, Hecker et nostræ etiam observationes &c. id multis confirmarunt exemplis.

16) Schwartze l. c. Svenska Läkaresällskapets Årsberättelse 1824. pag. 47.

17) Richters Specielle Therapie 5 B. pag. 231.

usu, ubi fastidium oriatur Medicaminis) ut Balsamum Copaivæ cujus effectus fortiores etiam periculosiores sunt, præsertim morbi initio 18).

Contra Blennorhagias quascumque alias etiam successu usus Cubebæ tentatus est, ut contra Inflammationem Chronicam intestinorum tenuium et Levcorrhoeam 19).

Non vero reticendum, experimenta quædam Berolinensium Medicorum 20) prospere non successisse. Forsan constitutio epidemica Berolinensis inflammatoria 21) vel prava Cubebarum qualitas in culpâ fuit. Idem aliquoties nobis accidit.

Si dolor mingendi usu Cubebarum evanuerit, remanserit vero secretio mucî abnormis tunc idoneum visum est Balsami Copaivæ fortiore stimulo finem imponere secretioni abnormi.

Anglus Medicus, Miles Marly, remedium nostrum specificum ducit. Parvas doses Muriatis Hydrargyrosi expertus est multum adjuvare ad effectum specificum 22). Nostra experientia semel hoc confirmavit in Blennorrhagiâ vehementiore urethrali.

In Rheumatismo Chronico etiam tentatæ sunt Cubebæ 23).

Si, ut interdum accidit, obstructionem effecerint, sal neutrum ut laxans a Medicis adhibetur: si e contrario, quod in majoribus Dosibus accidere solet, diarrhoeam provocaverint; Opium ad usum internum additur 24). In Gonorrhoea enim

---

18) Richter Ergänzungsbande l. c., Schwartze l. c.

19) Richter, Schwartze l. c. Hänle Magazin für die Pharmacie Erster Jahrgang, Erster Band pag, 198. Karlsruhe 1823.

20) Heim et Michaëlis. Vide Richter et Schwartze, Hänle l. c.

21) Richter speciell Therapi, Collins öfversättning, 1 Bandet sid. 30.

22) Schwartze l. c. Richter l. u. c.

23) Med. Chir. Zeitung 1825, No 26, p. 475, et N:o 42, p. 291.

non agunt, si Diarrhoeam excitaverint, haud secus ac Balsamum Copaivæ.

Utilem etiam se ostendit conjunctio Cubebarum cum cortice Cinchonæ in affectionibus Chronicis, ut Blennorhoea. E cortice Cinchonæ et Baccis Piperis Cubebæ pulveratis, addito Syrupo, Electuarium est confectum 25).

Affectiones Pectoris Chronicas ut dispositionem ad Hæmoptysin usui contradicere Cubebarum contendunt Auctores.

Nonnulli 26) Cubebas existimant remedium esse superfluum a Pipere Nigro substituendum. In multis hoc concedatur, sed mitius agunt Cubebæ, ut indicant etiam partes constituentes Chemicæ.

Ut evitetur fastidum medicaminis cujuscumque, peridonea est formularum medicinalium mutatio.

Hecker utitur pulvere a granis quinque ad viginta ter quotidie. Medici Svecici potissimum adhibuerunt pulveris quatuor Scrupulos, de die consumendos cum Saccharo vel minus accurate Cochlear minusculum (Thesked) quater de die. Medici Angli et Germani majores plerumque impenderunt Doses, sæpenumero Drachmas tres, quin etiam Unciam et supra quotidie partitis vicibus 27).

Idoneum quidem videtur doses paullatim augere. Pulverem de cetero dederunt alii cum Aquâ, Lacte vel mucilaginoso quodam vehiculo, alii cum Theriacâ, et sic Electuarium confecerunt.

Tincturam diu perferre solet ventriculus. Eam tali modo conficiunt:

---

24) Schwartze, Richter l. c.

25) Richter l. c.

26) Gren, Murray et plures Veterum Auctorum.

27) Schwartze, Richter l. c.

Rec. Piperis Cubebæ Baccar. contusarum
Uncias duas cum dimiaiâ,
Spiritus Vini Rectificati *Libram*,

Macera per dies decem in vase clauso et cola. Hujus Tincturæ Dosis erit Cochlear unum vel duo bis quotidie, sumendum in mucilaginoso vehiculo.

Similiter fere Vinum conficitur, quo majori dosi utimur.

Infusum Aquosum parum efficax esse potest; non enim solvere partes resinosas aqua valet.

Ingrediuntur Cubebæ in Speciebus Aromaticis Ph. Boruss. Tinctura Aromatica Acidâ, Tincturâ Aurantii Composita, Aquâ antihysterica Pragensi etc. præparatis 28).

Ad ultimum Injectiones, præsertim in Blennorrhoeâ Sexûs sequioris, vel Aquæ destillatæ vel infusi aquosi Cubebarum experimentis Medicorum dignæ nobis videntur, ut etiam usus internus Cubebarum in Blennorrhoeâ, a causa hæmorrhoidali ortâ.

---

28) Schwartze l. c.